

secundum prævitatem interpretantium præfaturæ. Indeque, quæ  
 ex ipsius Spiritus S. schola §. antec. audivimus, laudatissima ope-  
 rate seqventi modo in Tractatu de interpretatione S. Scripturarum  
 in ordinem rededit, B. Lutheri vestigia secutus, Wolfgang. Fran-  
 zius, ut p. 19. duas constituerit regulas, quæ, ut est in rubro libri  
 illius, B. Luthero ad felicissimam Papatus destructionem, in versione  
 Bibliorum Germanica, & in Scripturarum, præter morem antea sub  
 Papatu consuetum, explicatione, unicè usitatae & familiares fuere; in  
 quarum prima reqviritur ipsa notitia Scripturæ in lingua sua qvoad  
 voculam & qvoad phraseologiam nativa, in secunda notitia integræ  
 cohærentiae conexuum. Et has duas regulas ita probatas reperit  
 B. Sal. Glassius Phiol. S. Lib. II. Part. 2, p. 353, ut, cùm interpretem  
 S. Scripturæ menti Spiritus Sancti conformiter instruere vellet,  
 easdem cum B. Franzio retineret regulas. Neque ab eo recessit  
 B. Augustus Pfeifferus, qui in Crit. I. p. 117, postquam subsidia Scri-  
 pturam S. interpretandi, hodiè obvia, distinxisset in externa s. inar-  
 tificialia, qvorsum refert res, h. e. disciplinas, tam instrumenta-  
 les, qvam principales, omnium, ut vocare solemus, facultatum,  
 ac interna s. artificialia; & ad interna hæc duoretulisset, εργανέας  
 & σύγκεισης, seqventia profert: Quotendunt duo illa præcepta W.  
 Franzii, pro intelligendis S. Bibliis. Capit autem Vir incompara-  
 bilis, ut se ipsum explicat p. 118, vocem εργανέας speciatim, pro  
 interpretatione tam vocum singularum qvoad emphasis suam, & ve-  
 ram latitudinem usumque Biblicalum, qvam modorum loquendi ac  
 idiomorum. Σύγκειση fieri ostendit per analogiam, tam fidei,  
 quæ est summa doctrinæ divinæ ex apertissimis ac classicis Scriptu-  
 ræ S. locis collecta, qvam Scripturæ S., s. harmoniam dictorum  
 parallelorum, & collationem eorum, quæ textum dubium antece-  
 dunt vel consequuntur proximè ac remotè, ut pateat tam  
 ordo tractanditextus, qvam circumstantiæ, quis nimirum loqvatur,  
 & qvomodo se habeant orationis scopus, occasio, locus atque  
 modus. Cæterum illa indicasse h. l. sufficit. Conferri de omni-  
 bus ex professo potest ultimo nominatus B. Vir in Thesauro Herm.  
 unà cum Franzio atque Glassio ante laudatis, præter quos Maitb.

Flaciam